Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 21 (80)

In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, indictione sexta, die vigesimo nono mensis
decembris. In monasterio sancte Redegunde Mediolani videlicet sub portico dicti monasterii ubi alias capitulum dicti monasterii congregari solet.
Convocato et congregato capitulo et conventu dicti monasterii pro infrascripto negotio specialiter peragendo, in quoquidem capitulo aderant fuerunt atque sunt
religiose domine Johanola de Spanzotis abbatissa, Manfredina de Solbiate, Castellina de Fosato, Luzia de Cumbusiliis, Jacoba de Rochis, Margarita
de Pinctoribus, Franceschina de Buschinatis, Cathellina de Spanzotis, Aluysina de Putheobonello, Ursina de Tanziis, Chelina de Putheobonello et
Augustina de Arzonis, Apolonia de Vicomalis, Gasperina de Fusano et Donina de Ville, omnes monialles et professe dicti monasterii que sunt
faciunt et representant maiorem et saniorem partem capituli et conventus dicti monasterii ut ibidem dixerunt et protestate fuerunt et dicunt et protestantur,
ibique in ipso capitulo et conventu prefate domine abbatissa et moniales suprascripte congregate omnes unanimes et concordes nemine ipsarum discrepante earum
nominibus et nomine et vice dicti monasterii eiusque capituli et conventus investiverunt nomine locationis et ficti ad benefaciendum meliorandum et non
peiorandum Vertholinum de Mellegnano filium quondam Jacobi habitantem in civitate Laude in vicinantia sancti Guilliami presentem stipulantem et recipientem
ac se obligantem ut infra. Nominative de sedimine uno cum hedifitiis iacente in territorio loci de Compagna de Tho prope stratam Mediolani episcopatus Laude
cui coheret a mane et a monte monasterii sancti Johanis de Laude a meridie strata Mediolani a sero via de Tanazano et est pertice septem vel circha, in quo sedimine
asseruit esse et fieri taberna et tenore quod a kalendis mensis januarii proxime futuris usque ad annos novem proxime futuros et deinde in antea donec utrique parti placuerit
dictus Vertholinus conductor habeat teneat et titulo huius locationis possideat predicta bona suprascripta locata et de eis et in eis faciat quicquid effectus
talis locationis postulat et requirit dando et solvendo et dare et solvere teneatur et debeat dictus Vertholinus conductor suprascriptis dominabus abbatisse
monialibus et conventui monasterii sancte Redegunde locatricibus pro ficto seu pensione predictorum bonorum suprascriptorum locatorum omni anno durante presente
locatione libras quatuor imperialium et capones tres bonos et soldatas tres ovorum et ocham unam bonam videlicet denarios capones et ocham ad festum
sancti Martini et ova ad festum pasche resurrectionis domini annis annuatim singulis. Unde predictus Vertholinus conductor promissit et guadiam dedit et se et
omnia sua bona presentia et futura et supellectilia domus et illa que in generali obligatione non veniunt pro quibus obligavit suprascriptis dominabus abbatisse
monialibus et conventui presentibus stipulantibus et recipientibus. Ita quod predictus Vertholinus conductor dabit et solvet suprascriptis dominabus locatricibus predictos denarios
capones ocham et ova pro ficto predicto et in quolibet termino suprascripto vel ante cum omnibus expensis dampnis et interesse que fierent et substinerent
pro predicto ficto petendo et exigendo vel ab alio recuperando termino quolibet preterito suprascripto. Et quod finito tempore huius locationis tradet reddet
et restituet eisdem dominabus locatricibus tenutam et detentionem vacuam et expeditam possessionem predictorum bonorum suprascriptorum locatorum quandocumque
fuerit de voluntate dictarum dominarum locatricum. Et hec omnia et singula faciet omnibus suis propriis expensis dampnis et interesse et sine
expensis dampnis et interesse dictarum dominarum locatricum. Eo acto et pacto specialiter inter ipsos contrahentes apposito specialiter et expresse quod si ipse conductor faceret
vel teneret tabernam in dicto sedimine quod ipse conductor teneatur et debeat exonerare ipsas dominas locatrices ab omnibus datiis et oneribus que occurrerent
occaxione dicte taberne et etiam eas dominas relevare ab omnibus oneribus que requirerentur pro comune Laude occaxione dictorum bonorum suprascriptorum locatorum. Item
quod in fine dicte locationis ipse domine locatrices teneantur et debeant satisfacere eidem conductori de omnibus hedifitiis reparationibus et melioramentis
que ipse conductor fecisset et haberet in dicto sedimine secundum extimationem duorum amicorum per eos contrahentes communiter elligendorum aut ipsum Vertholinum
investire ad alios novem annos pro simili pretio et sic de novem in novem annis donec ei conductori restituerint expensas per eum conductorem factas
in melioramentis dicti sediminis. Et in casu quo predicte domine locatrices ei conductori non restituerint dictas expensas et ipsum conductorem investire
ut suprascriptum recusaverint quod licitum sit ipsi conductori vigore presentis investiture dicta bona sibi ut suprascriptum locata retinere donec sibi satisfactum fuerit de dictis expensis
ipso conductore nichilominus solvente huiusmodi fictum seu pensionem et in huiusmodi termino. Item eo acto quod si aliquo tempore contravenerit de predictis
vel aliquo predictorum possit dictus conductor omni tempore ubique terrarum et sub quolibet iudice tam ecclesiastico quam seculari realiter et personaliter conveniri licet
ibi non haberet suum proprium domicilium renuntiando privilegio sui fori et omnibus feriis et dillationibus causarum et cuilibet interdicto earum et quod dare
nequeat insolutum pro predictis vel aliquo predictorum cartas nec notas debitorum Mediolani nec aliquid aliud quam huiusmodi fictum seu pensionem aut pecuniam
numeratam contra debentis recipere voluntatem. Renuntiando omnibus statutis consiliis et ordinamentis provisionibus et refformationibus factis et fatiendis
per comune Mediolani seu per quodvis aliud comune collegium vel universitatem aut quamvis aliam personam in contrarium nec non iuri dicenti generalem renuntiationem
non valere et omni alii iuri et auxilio quibus se tueri posset vel quomodolibet iuvare. Et constituit dictus conductor se tenere et possidere vel
quasi omnia sua bona et iura nomine dictarum dominarum locatricum et pro eis. Ita quod adveniente casu petendi liceat dictis dominabus locatricibus etiam sua
auctoritate propria et sine servitore banno contumazia precepto vel nutio alicuius iusdicentis ubique robare contestare saxire sequestrare in depositum
dare in possessionem intrare per vim aufferre vendere et alienare et insolutum accipere et retinere de bonis et rebus dicti conductoris usque ad plenam
et completam solutionem et satisfactionem omnium predictorum. Et ob hoc non intelligatur quod sibi vim vel violentiam fatiant vel inferant quoquo modo.
Renuntiando omni accusationi et deffensioni quam pro inde facere posset. Insuprascriptum dictus Vertholinus iuravit ad sancta dei evangelia manu corporaliter tactis scripturis in manibus mei notarii infrascripti predicta omnia et singula in hoc instrumento contenta attendere et inviolabiliter
observare et contra ea non venire nec facere de iure nec de facto. Actum ut suprascriptum presentibus Augustino de Desio filio domini Moroli porte Horientalis parochie
sancti Zenonis in Pasquirolo et Laurentio de Vimoribus de Carate filio Honofrei porte Horientalis parochie sancti Simpliziani notariis et suprascripto
Honofrio de Vimoribus de Carate filio quondam domini Ambrosii dictarum porte et parochie sancti Simpliziani notario, Ambrosio de Guazis de
Tanazano Veteri filio quondam Veltramini habitante in loco Tanazano Veteri et Veltramino de Guazis de Tanazano Veteri filio quondam
Comini habitante in dicto loco Tanazano Veteri episcopatus Laude testibus omnibus ydoneis ad premissa vocatis specialiter et rogatis etc.

Ego Stephanolus filius quondam domini Veltramoli Portalupi civitatis Mediolani porte Horientalis
parochie sancti Simpliziani notarius rogatus tradidi et suprascripsi.

Ego Morinus filius suprascripti Stephanoli Portalupi civitatis Mediolani porte Horientalis parochie sancti Simpliziani Mediolani
notarius iussu suprascripti notarii scripsi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1854430602-11

1398 29. xbre C

Investitura novennale fatta dal V.do Monast.o di S. Radegonda in Bertolino Melegnano di una Casa ed annessi, in cui si soleva fare Bettola, di misura di pert.e 7. site nel Luogo di Companatico Vescovato di Lodi, alla qual Casa, coerenze da mattina e da monte del Monast.o di S. Giō di Lodi, da mezzo dì la strada di Milano, e da sera la strada di Tavazzano; Per l'annuo fitto di 14. Imp.li, Capponi n.o 3., dozzine n.o 3. uovi di gallina, ed un Oca; Con patto, che volendo esso Bertolino far Bettola in d.a Casa, sia esso tenuto a tutti gli aggravj e dazi, che potessero imposti su d.a Bettola, e facendo delle Migliorie nella stessa Casa debbano queste compensarsi in fine dell' Investitura, oppure essergli questa rinovata ad altro Novennio &

Rogato Stefanolo Portalupo N.o di Mil.o autent.o

Compagnazzo

N° 6

1398: 29. Decembr.

Investitura fatta dal Monastero

a Bertolino di Marignano

della Casa di Tavazzano

detta Compagnazzo per anni

nove

Invest. Bertolino di Marignano

... Tavazzano

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt Halle/S.

Morbio 21 (80)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1854430602-11